



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Q. SEPTIMII|| FLORENTIS|| TERTVLLIANI||
CARTHAGINIENSIS|| PRESBYTERI, OPERA|| QVÆ
HACTENVS REPERIRI|| POTVERVNT OMNIA:||**

Tertullianus, Quintus Septimius Florens

Antverpiae, 1584

Tertyliani I. C. Romani Responsa Qvæ In Libris Digestorum Exstant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73633)



TERTYLIANI I.C. ROMANI

RESPONSA QUÆ IN LIBRIS
DIGESTORVM EXSTANT.

Ex Libr. I. Quæstionum octo.

D. Libr. I. Tit. 3. de Leg. Senatûsque cons. l. 27.

DE ò, quia antiquiores leges ad posteriores trahi, vſitatum eſt ſemper, quaſi hoc legibus ineſſe credi oportet, vt ad eas quoque perſonas & ad eas res pertineant, quæ quandoque ſimiles erunt.

D. Libr. 29. T. 2. de Acquir. vel qmitt. hered. l. 82.
iuxta MS. cod. Bald.

SI ſeruus eius qui capere nõ poteſt, hæres inſtituatur, & antequàm iuſſu Domini adeat hæreditatem, manumiſſus alienatûsque ſit, & nihil in fraudem legis factum ſit, ipſe admittitur ad hæreditatem. Sed & ſi partem capere tantùm poſſit Dominus eius, eadem dicenda ſunt de parte quam ille capere non poteſt. Nihil enim intereſt, de vniuerſo quæratur quod capere non poſſit, an de portione.

D. Libr. 41. T. 2. de Acquir. vel amitt. poſſeſ. l. 28.

SI aliquam rem poſſideam, & eandem poſtea conducam; an amittam poſſeſſionem? Multum refert in his quid agatur. Primùm enim refert, vtrum ſciam me poſſidere, an ignorem. & vtrum quaſi meam rem conducam, an quaſi meam. Et ſciens meam eſſe, vtrum quaſi proprietatis reſpectu, an poſſeſſionis tantùm. Nam & ſi rem meam tu poſſideas, & ego emam à te poſſeſſionem eius rei, vel ſtipuler; vtilis erit & emptio & ſtipulatio, & ſequitur vt & precarium, & conductio, ſpecialiter poſſeſſionis ſolius conducendæ, vel precario rogandæ animus interueniat.

EX LIBRO SINGVLARI DE
CASTRENSI PECVLIO.

D. L. 29. T. 1. De Teſtam. mil. l. 23.

DEM, etſi paterfamiliàs miles de Caſtrenſibus rebus dumtaxat teſtatus adrogandum ſe dederit; Si verò miſſus iam hoc fecerit, non valet teſtamentum.

TULLIAN
AV
JG

Ibidem leg. 33.

SI filiusfamiliâs miles feciſſet teſtamentum more militiæ, deinde poſt mortem patris poſtumus ei naſceretur; utique rumpitur eius teſtamentum. Verùm ſi perfeueraffet in ea voluntate, ut vellet adhuc illud teſtamentum valere, valiturum illud, quaſi ruruſum aliud factum; ſi modò militaret adhuc eo tempore quo naſceretur illi poſtumus. Sed ſi filiusfamiliâs miles feciſſet teſtamentum, deinde poſtea viuo eo, & adhuc auo quoque ſuperſtite, naſceretur ei poſtumus; non rumpitur eius teſtamentum. quia cum id quod naſceretur, in poteſtate eius non perueniret; non videtur ſuus hæres adgnafci. ac ne auo quidem ſuo hunc nepotem poſtutum, cum viuo filio naſceretur, ſuum hæredem protinus adgnafci. Et ideo nec aui teſtamentum rumpi, quoniam licet in poteſtate aui protinus eſſe inciperet; tamen antecederet eum filius. Secundum quæ ſi filiusfamiliâs miles teſtamentum fecerit, & omiſerit poſtutum per errorem, quem non volebat adhæredatum; deinde poſtumus poſt mortem aui viuo adhuc filio, id eſt patre ſuo natus fuerit; omnimodò rumpet illius teſtamentum. Sed ſi quidem pagano iam illo facto natus ſit, nec conualeſcet ruptum. Si verò militante adhuc natus fuerit, rumpetur. Deinde ſi voluerit ratum illud eſſe pater, conualeſcet ſic, quaſi denuò factum. Sed & ſi viuo auo naſcatur poſtumus, hic non rumpet continuo patris teſtamentum. Si ſuperuixerit poſt mortem aui viuo adhuc patre, rumpet, quod nouus illi nunc primùm hæres adgnafciſci. Ita tamen, ut numquam poſſit duorum ſimul teſtamenta rumpere, & aui, & patris.

D.l. 49. Tit. 17. De caſtr. pecul. l. 4.

MILES præcipua habere debet quæ tulit ſecum in caſtra concedente patre. Actionem, perſecutionemque caſtrèſium rerum ſemper filius etiam inuito patre habet. Si paterfamiliâs militiæ, vel poſt miſſionem adrogandum ſe præbuerit; videndum erit, ne huic quoque permiſſa intellegatur earum rerum adminiſtratio, quas ante adrogationem in caſtris adquiſierit; quamuis conſtitutiones principales de his loquantur, qui ab initio quum eſſent filiifamiliâs, militauerint, quod admittendum eſt.

REVE-